GALLIA
MULTIS MODIS
LUTHERANIZANS,
SIVE
DE
CONTEMTU
CONCILII TRIDENTI-NI IN GALLIA;
EXERCITATIO HISTORICO-THEOLOGICA,
PUBLICAE DISQVISITIONI EXPOSITA
A
PRAESIDE
HECT. GOTFRIEDO MASIO,
THEOLOGO HAFNIENSI CELEBERRIMO,
RESPONDENTE
SEVERINO LINTRUPIO.

JUXTA EXEMPLAR HAFNIENSE RECUSUM
Ab ANDREA HEBERO.

24

Digitized by Google

APPROBATIO.

OPtime capitur avis, cum propriis implicatur alis; Et optime cæditur hoſtis, cum proprio jugulatur gladio; Bellique cujuslibet vis ac robur domeſtico diſſidio ſponte corruit; Id curioſis hiſce ſubtilitatibus ſuis palam faciunt *Nobiliſſimus & plurimum Venerandus Dn. PRÆSES, uti & Clariſſimus & ingenioſiſſimus Dn. RESPONDENS*, dum Ille *de Auctoritate Conciliabuli Tridentini*, hic vero *de auctoritate Synodi Dordracenæ*, tam exquiſite diſſerunt. Intelligere enim hinc, & quidem inſigni cum fructu, legentes queunt; Quod neutri horum Conciliorum titulus *Concilii Oecumenici* competat; Et, quod *Synodus Tridentina*, utpote Mater tot erraticorum & monſtroſorum dogmatum, a qua tot illuſtria capita, ſicut corpore, ita animo diſtiterunt, nunquam fuerit iuſta & legitima; Et quod *Synodus Dordracena*, quæ in veritatem Evangelicam toties impegit, vicinamque adhuc Angliam in quam plurimis diſſentientem invenit, minime gentium fuerit ſatis oculata & cauta. Unde adſtipulamur merito beatiſſimo Chemnitio noſtro, in praefatione examinis Concilii Tridentini de Conciliis hæc monenti: Magnam quidem eſſe Conciliorum in Eccleſiis auctoritatem, ſi ſecundum regulam & normam Scripturæ judicent, ſententiasque ſuas certis perſpicuisque Scripturæ teſtimoniis comprobent; Debet enim tum Eccleſia ipſis, tanquam voci cœleſti, ſummam reverentiam & obedientiam; Sed nudus tamen Concilii titulus exauditus, non ſtatim, tanquam caput aliquod Gorgonis, in ſaxa, truncos & ſtipites nos convertet, ut amplectamur temere quodlibet, ſine examine, & ſine ulteriori inquiſitione & dijudicatione: Decreta enim Synodorum, non tanquam dictatoria mox & ἀνυπεύθυνα, prætoria vi & poteſtate (ſicut ab Areopagitis Tridentinis, pariter & Dordracenſibus factum eſt) Eccleſiis obtrudenda ſunt; ſed oſtendendum potius, quibus ex fundamentis & fontibus, damnantur falſa, confirmantur vera: ita conſcientiis conſulitur, ita pax conciliatur! Cenſui Hafniæ Pridie duum Decembr. Anni M.DC. XCV.

H. BORNEMANN. D.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

Concilii Tridentini nævos non noſtræ tantum & Reformatæ Eccleſiæ Doctores paſſim accuſant, ſed ipſi etiam Pontificii dudum obſervarunt. Inter noſtrates quidem B. *Chemnitius in Exam. Conc. Trid.* (quem fruſtra *Martinus Gartneus in Chemnitio Reformato, & Jodocus Ravenſtein Tiletanus* ſparſim laceſſere conati ſunt, nam qui totum opus ex profeſſo, ut loqui ſolemus, adortus fuerit, nemo hactenus, quantum mihi quidem conſtat, inventus eſt) *Hulſemannus in Man. Aug. Conf. contra Hagerum, Balduinus* in Scripto peculiari germanico, *Danbauerus in Myſterio Syncretiſmi, Calovius in Matæologia Concilii Tridentini*, aliique hanc cauſam perorarunt, ne quid de Scriptis Anti-Pontificiis in genere dicam, in quibus identidem Tridentini Patres vapulant.

Inter Reformatos *Joh. Henricus Heideggerus Anatomen Hiſtorico-Theologicam Concilii Tridentini* aliquot abhinc annis edidit, cui non ita pridem *Tumulum Concilii Tridentini*, ſat magnæ molis librum, ſubjunxit; in quo potiſſimum aduerſus *Auguſtini Reding inexſtinctam Concilii Tridentini veritatem* calamum ſtringit.

Inter ipſos vero Pontificios ita *hiſtoriam Concilii Tridentini ſcripſit Petrus Suavis Polanus* (*Paulus Sarpius Venetus*) ut ubique nævos, errores, certamina, lites atque affectus Patrum Tridentinorum proderet. Illi quidem poſt octo demum luſtra opus aliquod Romanæ Curiæ adulatores oppoſuere, ſed eo etiam ſucceſſu, ut quæ arma *contra Petrum Suavem* ſumpſerant, nonnunquam contra Concilii Tridentini auctoritatem, imo contra ſe ipſos converterent. *Pallavicinus* certe ita Petro Suavi obviam ivit, ut veritati locum paſſim faceret, nec quiſquam pejori fere titulo purpuram Cardinalem meritus eſt. Ante illum *Seigio Henricus Cenſuram Theologicam & Hiſtoricam*, ut inſcribitur, contra Petrum Suavem in lucem edidit, quem magis ſincerum quidem, ſed tamen hallucinatum eſſe oſtendit *Cæſar Aquilinus de Tribus Hiſtoricis Concilii Tridentini*, qui ipſe tamen de Pallavicino ſatis gravem cenſuram tulit. Et vero miror in dubium a quoquam vocari amplius poſſe, quæ Petrus Suavis poſterita-

ti reliquit, poſtquam *Fratres Puteani* (hos enim auctores libri fuiſſe accepimus) publici juris fecerunt *les memoires du concile de Trente pris ſur les originaux*, ubi mandata Regis Galliæ ad Legatos, eorumque literas e Concilio Tridentino ſcriptas, inque iis mille querelas offendas, omnia affectibus dari nihil veritati. Patet ex illo libro, quam non falſa ſint Petri Suavis teſtimonia de Italorum ambitione & violentia, & quantopere Galli Reformationem Eccleſiæ Romanæ olim efflagitarint, ſed rejecti tamen ſemper fuerint, votorum non pondere quidem ſed numero victi. Mirum certe a Pontificiis permiſſum eſſe, ut ille liber publica luce donaretur, qui cauſæ Pontificiæ jugulum petit. Præviderat Auctor præjudicium inde oriturum, & quantam ſibi invidiam conflaret, hinc nomen ſuum reticens in limine libri emphatica hac excuſatione ſe tuetur. *Si quelqu'un juge que l' intention de celuy, qui a fait ce Recueil, ſoit autre, que pour apprendre à ceux de ce ſiecle & repreſenter a la poſterité la verité de l' hiſtoire du Concile de Trente, faire connoitre l' autorité & la Majeſté des Rois tres Chreſtiens, la grandeur du Royaume, la fidelité & courage des Francois, les droits & libertés de noſtre Egliſe Gallicane, ou qui calomnie que rien aye eſte adjouté, oſté, diminué ou changé des originaux; Ainſi Dieu l' aide & le juge comme il fait autruy.* Adeo non inanis fuit querela Andreæ Dudithii, quinque Eccleſ. Epiſcopi, qui in ipſo Concilio Tridentino clarus & Maximiliano Cæſari acceptus (Vid. *Thuanus lib. 56. p.* 476.) graviſſimum de Tridentino Senatu judicium reliquit: *quid profici poterat* &c. quod judicium plenius & prolixius Petrus Suavis hiſtoriæ ſuæ Tridentinæ præfixit, & ex illo *Danhauerus Myſterio Syncretiſmi* ac *Strauchius Diſſertationi de æquitate in cenſendis hæreticis* inſeruit; Orationes vero *Dudithii* & varia ad Conc. Trid. pertinentia edidit *Quirinus Reuterus*, *Offenb.* 4. 1610. quem tamen librum raro reperias. *Caroli Molinæi* conſilium ſuper facto Concilii Tridentini *Scherzerus Bibliotheca ſuæ Pontificiæ* intulit. Cl. *Eſpencæi* locus e *comm. in Ep. ad Tit. oper. fol.* 473. contra Concilii Tridentini auctoritatem notus eſt, & a nobis alibi memoratus. Cum vero in ipſa hac diſſertatione mentio facta fuerit, Pontificios doctiores ſusque deque habere decretum Conc. Trid. quo verſio vulgata authentica habetur, juvat adſcribere Jeſuitæ Gr. de *Valentia* locum, qui ad *Serarium* ſcribere auſus eſt; *Poſſe ſine periculo de vi atque ſenſu defini-*

tionis

tionis Concilii Tridentini aliter quenquam opinari in literis die 16. Oct. 1590. *Ingolſtadii ad Serarium* datis, quas prodidit *Serarius prolegom. fol.* 119.

In ſpecie vero, quantum Regum ac Principum Chriſtianorum auctoritati derogarit Concilium Tridentinum, videre eſt in ſcripto Anonymi: *Revelatio Conſiliorum, quæ initio Synodi Tridentinæ contra orbis Chriſtiani Reges, Principes &c. ſunt inita.* Et jam ante illum Anno nempe 1587. *Innocentius Gentilettus Ictus* Delphinenſis in Examine Conc. Trid. Henrico II. Regi Galliarum dicato, demonſtrare conatus eſt, in multis articulis hoc Concilium antiquis Conciliis & canonibus Regiæque auctoritati contrarium eſſe, in quo libro multa ſolide & accurate dicta reperio. Unde mirum non eſt, Galliae Reges in hunc usque diem adductos nondum eſſe, ut publica auctoritate Concilium Tridentinum in Gallia promulgari paterentur, cum non a ſolo Gentiletto, ſed aliis quam plurimis obſervatum ſit, cum auctoritate Regum & Eccleſiæ Gallicanæ libertate conſiſtere illud non poſſe. Adeo fruſtra Pontificii de Eccleſiæ ſuæ unitate gloriantur, qui jam ne quidem in principio & regula fidei conveniunt.

Hanc vero materiam in Gallia degens penitius inſpiciendi occaſionem nactus de *diſſenſu Eccleſiæ Gallicanæ a Romana* plura tum quidem congeſſi, & ſub titulo *Galliæ ſchiſmaticæ* ſcriniis meis inſerui, unde in lucem forte pro re nata protrahi aliquando poſſent. Fuit mihi ea in Gallia occaſio, quæ ad hanc materiam ſpectant, e variis monumentis & ſpiſſis quandoque voluminibus eruendi, quam alibi fruſtra quæſiviſſem; quæ nunc eo lubentius relego, quo magis memoria recolo, non omni labore atque induſtria hunc qualemcunque fœtum caruiſſe. Ejus vero partem aliquam, *Diſputationis Academicæ* loco Tibi, Benevole Lector, ſiſto, ut de reliquis judicium ferre poſſis.

Diſſertationem vero mecum tuebitur clariſſimus noſter *Lintrupius, Scholæ Bergenſis in Norvegia Rector vocatus*, qui eum inſignem theſaurum ampliſſimæ eruditionis collegerit, & Theologiæ Polemicæ intimiora adyta pervagatus, ſi quis alius, optime norit, quid argumenta κατ' ἄνθρωπον valeant, materiæ nobilitate captus, & quo fertur in ſtudia Academica impetu animatus, ante abitum Reſpondentis vicibus fungi animum induxit. Gratulamur quidem illi quam nactus eſt Spartam, ſed majus iſti doctrinæ & virtuti Theatrum meri-

rito precamur, ægre ferentes, a Muſarum noſtrarum amplexibus divelli, qui ſtudiis Academicis ita innutritus eſt, ut majora pulpita ornare propediem potuiſſet. Sed cum aliter viſum divinæ providentiæ fuerit, id ſaltem ſerio optamus, ut hunc ſibi filium poſtliminio vindicet Academia mater, neque ad majora natum hominem in pulvere Scholaſtico conſeneſcere patiatur. Pauci omnino ſunt, qui recta ſemita ad Theologiæ atrium contendunt, alii enim illotis manibus ad hæc ſacra accedere non verentur, Theologici muneris partes omnes ſe impleviſſe rati, ſi cruda ſua ſtudia ſtatim in ſuggeſtum propellant, & felici loquacitate ſupinam tegant ignorantiam. Alii non omnino quidem rudes cum famulitio Theologiæ quandam familiaritatem quidem ineunt, Philologia puta & Philoſophia, ipſam vero Dominam eminus tantum & velut ἐν παρόδῳ venerantur, inſulſis illis Procis ſimiles, qui conciliato Ancillarum favore facilem ſibi Penelopen pollicentur. Alia *Lintrupio* noſtro mens fuit, qui variis linguarum ſcientiarumque præſidiis inſtructus, id unice ſibi agendum eſſe exiſtimavit, ut his adminiculis ad majora ſacræ cognitionis incrementa uteretur, neque *Theologiam illam Quodlibeticam* addiſceret, ſed ſolidis fundamentis innixam ſcientiam ſibi compararet. Unde ea nobis ſpes ſemper fuit, fore, ut in ea cathedra, cui ſe totum conſecraverat, & virtutis præmium & laboris ſtimulum aliquando reperiret. Sed aliam ipſi metam provida Numinis cura tantiſper aſſignavit, cujus nutum ſequi glorioſum duxit, meliorem ibi ſtudiisque ſuis magis conformem ſortem præſtolaturus. In quem finem quotquot vel ingeniis florentiſſimis bene cupiunt, vel bene meritis æquum ſtatuunt pretium, operam atque ſtudium collaturos eſſe confido. DEUM vero ter opt. Max. ſupplex veneror, ut huic lampadi oleum ſuffundat, corporisque vires excitatæ mentis vigori pares eſſe jubeat, ut multum inde fructum Eccleſia vera metat per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Amen.

DE

DE CONCILII TRIDENTINI AUCTORITATE IN GALLIA.

(1) De auctoritate concilii Tridentini varie loquuntur Theologi in Gallia, neque in hac materia vel cum ſeipſis vel cum ſuis principiis conveniunt. (2) Multa eſſe in Concilio Trid. definita contra veteres canones libertatemque Eccleſiæ Gallicanæ, ex ipſis Scriptoribus Gallicis probatur. Viginti duos articulos memorat Thuanus, in quibus animadverſa eſt diſcrepantia. (3) Diſſenſus Gallorum in ipſo Concilio Tridentino. (4) In quo nunc Eccleſia Gallicana a Concilio Tridentino diſſentiat. (5) An capita controverſa non ſint eſſentialia ſeu de fide, ut loquuntur? (6) Oſtenditur, diſcrepantiam eſſe magni momenti & verſari circa materiam, quæ ſtatui Eccleſiaſtico, civili & Oeconomico fundamentum ſubſternit. (7) Quantopere Galli publicæ promulgationi Concilii Trid. reſtiterint; an & quando receptum, & quibus cum reſtrictionibus, probatur, nunquam Regis & Parlamenti auctoritate publice promulgatum eſſe. (8) An per hypotheſes Cleri Gallicani acta Concilii Tridentini reſcindi penitus, & per aliud Concilium univerſale abrogari debeant. (9) An concilium Tridentinum ſerio in Gallia audiat univerſale.

---

§. I.

QVanta ſit Concilii Tridentini in Gallia auctoritas, dictu difficile foret, ſi quis linguam potius quam mentem & hypotheſes Doctorum attenderet. Tam varie enim Theologi ea de re loquuntur, ut & ſibi invicem & ſuis principiis ſtrenue contradicant. Aliter enim Monachi, aliter Jeſuitæ, aliter rurſus Sorboniſtæ ſentiunt. Qui pro partibus Pontificis adhuc in Gallia dimicant, ut

Digitized by Google

ut plerique Monachorum ordines, cæca quadam veneratione Concilii decreta proſequuntur, parum ſollițiti, num id libertati Eccleſiæ Gallicanæ & principiis cleri conveniat, an ſecus. Si iſtis creditur hominibus, nullum unquam ſanctius Concilium magisque œcumenicum fuit, cujus proinde decreta etiam in conſcientia omnes obligant. Sed illi cæco ignorantiæ zelo abrepti vel hypotheſes Eccleſiae Gallicanae ignorant, vel ſaltem in fundamenta rei non inquirunt. Quod ſi enim univerſale eſt Concilium Tridentinum, quid quæſo obſtitit, quo minus ſtatim in Gallia reciperetur? Si adeo ſanctum eſt, ut quidem uociferantur, cur decreta nonnulla pro vanis & irritis in Gallia habentur? Si in conſcientia omnes obligat, cur in deciſionibus ejus non acquieſcunt? Si tantum ualet, quantum ſolent Concilia Oecumenica, quidni anathema verentur, tam confidenter illi obloquendo & obſequium debitum detrahendo? Hæc, niſi me omnia fallunt, ſic comparata ſunt, ut omnino invicem conciliari nequeant. (a)

(a) Nota. Fateor me hactenus capere non potuiſſe, quo pacto Galli hypotheſin ſuam *de infallibilitate Conciliorum generalium ſtabilire poſſint*, cum Tridentinum Concilium, quod univerſale fuiſſe plerumque volunt, toties arguant fallibilitatis, quoties ab ejus decretis in doctrina & moribus recedunt, vel iisdem contradicunt. Nec video, qui ſalva eſſe poſſit Conciliorum generalium divina auctoritas, ſi Eccleſiæ particulari impune eam contemnere licet. Alterutrum aſſerendum eſt, vel Concilium Tridentinum non eſſe uniuerſale, vel Concilia etiam generalia errare poſſe, & Tridentinum illud actu erraſſe. Quicquid eorum elegerint, in noſtrum afferent patrocinium. Eo res rediit in Gallia, ut Eccleſiæ ſuæ libertatem tueri nequeant, niſi ſimul Eccleſiæ noſtræ cauſam defendant. Contradicant ſane Tridentino conciliabulo, ſed & æquo animo nos ferant eidem quoque contradicentes. Non deerit quidem illis exceptio, ſe nihil deſiderare in Tridentino, quod de fide ſit, at primum id gratis dicunt, nam ex recenſione capitum facile patebit, ad fidem partim ſpectare, quæ controverſa ſunt, & deinde, ſi vel maxime concedas, non eſſe de fide, ſufficit nobis Concilium illud ab ipſis Pontificiis argui fallibilitatis. Errarit tan-

tum

Digitized by Google

tum in minimis, magnum tamen inde naſcitur præjudicium & ſuſpicio, in aliis etiam illud fieri potuiſſe. Quid niſi recte imposterum colligent Proteſtantes: Si ipſi Pontificii non verentur anathematis fulmen in Concilio Tridentino vibratum, quid illud curemus Evangelici? Pugnant Galli pro libertate Eccleſiæ ſuæ, nos pro libertate Evangelica certabimus. Tantum apud ipſos valeat conſvetudo, ut a decretis Concilii potius quam ab ea recedere malint; tantum apud nos valet verbi divini auctoritas & Eccleſiæ primitivæ conſvetudo, ut mille Conciliis obloqui potius quam illi nuntium remittere velimus. Miror ſane Gallos in defendendis Eccleſiæ ſuæ juribus adeo tenaces, & in Jure Evangelico tuendo adeo ſegnes. *Cum de ſubtractione calicis agitur*, quidni hic privilegium ab ipſo Chriſto conceſſum, imo potius præceptum ejus urgent? Quidni conſvetudinem Eccleſiæ primitivæ univerſalis allegant? Quidni canones Apoſtolicos canonibus Concilii Tridentini & Conſtantienſis fortiter opponunt? Scilicet in iſtis faciles eſſe poſſunt, ceteroquin acerrimi eorum vindices, quæ juris conſvetudinarii jugulum petunt. Sed vertimus vela. Si Concilium Tridentinum univerſale fuit, nonne æquum eſt, omnes ejus ordinationes ſive ad fidem ſive mores pertineant, valere in Gallia. Nam & in hunc finem congregata erat Synodus, ut in moribus & diſciplina Eccleſiaſtica generalis eſſet reformatio, cui dum morem Galli non gerunt, quid niſi finem Concilii & auctoritatem eius evertunt? Certe quod Eccleſia univerſalis in ceremoniis & adiaphoris definit, tantæ auctoritatis eſſe debebat, ut Eccleſia particularis reclamare non auderet. Non enim hæc libertas ſed effrenis cenſenda foret licentia. Nihilominus tamen tam parva eſt Tridentini auctoritas, ut ſuam diſciplinam ſuosque ritus imo & conſvetudines ſequi malint, quam Eccleſiæ univerſali ſeſe conformare: quod ipſum quomodo cum uniuerſalitate Concilii ejusque divina auctoritate, quam jactant, conciliari poſſit, ipſi uiderint. Mihi quocunque me vertam, illa hinc ſeqvi videntur: Aut Synodum Tridentinam non eſſe generalem, aut Concilia etiam generalia eſſe fallibilia, & injuſtum anathematis fulmen vibrare poſſe. *Equidem P. Marca in libro de Concordia Sacerdotii & imperii lib. III. cap. 7. Libertates, inquit, perinde tuemur, ſi de Concilii generalis novis decretis, ac ſi de Romani Pontificis conſtitutionibus agatur. Quin etiam receptos mores & conſvetudines Eccleſiæ Gallicanæ noſtro uſui commodas adeo retinemus, ut, etſi canone Concilii generalis deſtituamur, quo illa firmata ſint, tamen ab iis nobis diſcedendum eſſe non cenſeamus.* In quibus verbis tria notatu digna exiſtimo. (1) Auctorem Eccleſiæ Gallicanæ libertati poſtponere non tantum

 Ponti-

Pontificis, ſed & Concilii generalis auctoritatem. (2) Loqui de novis Concilii decretis ac conſtitutionibus in genere, ita ut etiam, ſi quod in fide decretum novum fieret in Concilio generali, id ipſum non obligaret Eccleſiam Gallicanam. (3) Hoc ita extendi, ut plus valeant conſvetudines canone Concilii generalis deſtitutæ, quam eiusmodi novi canones & decreta Synodi univerſalis. Ejusmodi hypotheſes ſi Roma concoquere poteſt, mitius inpoſterum de Proteſtantibus ſentiat, nec vitio nobis vertat, quod libertatem Evangelicam & Eccleſiæ primitivæ conſvetudinem opponimus novis Concilii decretis. Si Roma rem rite perpendat, minus apud Gallos valet Tridentini auctoritas quam apud Evangelicos. Illi ritus & conſvetudines ſuas præferunt, nos vero tantum Scripturæ auctoritatem obvertimus. Si contra ritus noſtros, ſi adverſus conſvetudines tantum Eccleſiæ particularis novi quicquam decreviſſet, non eſſet nobis tanta conquerendi cauſa. Submitteremus nos facile ejusmodi regulis, & vel pacis conſervandæ cauſa jure noſtro cederemus. At vero cum de Scripturæ auctoritate & puritate fidei noſtræ agatur, patiatur quæſo Roma, tantum nobis licere ac Gallis. Nulla humana ratio obſequium noſtrum remoratur, ſed fides, ſed conſcientia, ſed divini verbi canon. Hæc tanti ſunt, ut majori jure liceat nobis P. de Marca verba paulum immutata noſtra facere: *Libertatem Evangelicam perinde tuemur ſi de Concilii novis decretis, ac ſi de Romani Pontificis conſtitutionibus agatur. Quin etiam receptos mores & dogmata & conſvetudines Eccleſiæ primitivæ adeo retinemus, præſertim cum canone Scripturæ non deſtituamur, ut ab iis nobis diſcedendum eſſe non cenſeamus.*

§. II.

Huic Labyrintho ne implicentur ſagaciores, univerſalitatem concilii Tridentini vel dubiam vel limitatam relinquunt. Certe plures, qui de auctoritate conciliorum univerſalium agunt, in eorum numerum, quæ conſcientiam obligant, Tridentinum illud conciliabulum referre non audent. Nonnulli etiam de hac materia frigide loquuntur, ut appareat facile; Gallos *non eſſe addictos jurare in verba Tridenti.* (a)

(a) *Qui Hebraice ſciunt, Morinum ſecuti rident decretum illud Concilii Tridentini, quo authentica proponitur vulgata verſio. Sunt quidem nonnulli, qui ſenſum Concilii explicare ſatagunt, hoc eſt mentem Concilio contra ejus mentem affingunt: At Pater Simon Auctor Hiſtoriæ Criticæ in V. Teſtamentum, paſſim prodidit, quid de iſto decreto ſen-*

tien-

tiendum ſit. Nempe illud ſalſe ridet velut ex ignorantia profectum, & aſylum ignorantiæ illis prabens, qui linguam Hebraicam ignorant. Fateor, inquit, *in gratiam ſeculi noſtri dici poſſe, non opus eſſe, ut ad originalia quis confugiat, poſtquam Concilium Tridentinum Verſionem latinam authenticam declaravit. in ſupplem. de ceremon. Judaor. pag. m.* 135.

§. III.

Qua de re ut ſolide commentemur, tria potiſſimum probaturus ſum, quæ fere extra controverſiam poſita eſſe judico. (1) In ipſo Concilio Tridentino plus valuiſſe Epiſcoporum Italiæ machinationes, quam vota Epiſcoporum Galliæ; unde nec omnia decreta, etiam quæ de fide erant, Eccleſiæ Gallicanæ placuere. (2) In Concilio Tridentino plurima eſſe definita contra libertatem Eccleſiæ Gallicanæ. (3) Concilium Tridentinum non niſi ſero in Gallia receptum, & quidem poſt multas gravisſimasque altercationes, nec niſi cum expreſſa limitatione: *Salva libertate Eccleſia Gallicana.*

§. IV.

Ac primo quidem notum ſatis eſt ex hiſtoria Concilii Tridentini, quam graviter in multis fidei capitibus Epiſcopi Galliæ ſeſe oppoſuerint Concilii decretis. (α) Nam & matrimonium clericis permiſſum eſſe volebant, & reſtitutionem calicis vehementer urgebant, de purgatorio autem in utramque partem loqvebantur; ſed numero impares & pluralitate votorum victi non niſi ægro animo domum receſſerunt. Cum ex Gallia non eſſent niſi viginti duo Epiſcopi, ex ſola Italia centum octoginta ſeptem interfuerunt: qua de re Scriptores Galliæ plures conqueſti ſunt. (β)

(α) *Videatur omnino Sleidan. lib.* 22. *P. Suavis Hiſtor. Conc. Trident. lib.* 8., *Prolixe iſtam rem perſecutus fuerat Thuanus, ipſa rei geſta acta in libris ſuis commemorans. Sed qua eſt Jeſuitarum aſtutia, in prima Thuani editione aliisque ſequentibus nonnullis reſecta fuerunt. Nuper autem ea Johannes Henricus Heideggerus e MSptis & editione Aurelianenſi eruta Anatoma ſua Concilii Tridentini inſeruit*, nec dubito quin eadem acta in *Thuano reſtituto*, in Belgio edito, mihi autem nondum viſo, integra reperiantur. Varias proteſta-

teſtationes contra Concil. Trident. prolatas adducit Innocentius Gentilettus JCtus Delphionenſis in Exam. Conc. Trident. lib. V.

(β) *Communem omnium querelam complectitur Eſpencaus comment ar. in Epiſt. ad Tit. cap. 1. p. 473. Factum eſt poſterioribus ſeculis, ut quod merito in Concilio Baſileenſi Ludovicus Arelatenſis querebatur, in Concilio id demum fiat, & neceſſario fiat, quod nationi placeat Italicæ, & quæ ſola Epiſcoporum, qui & ipſi ſoli vocem illic deciſivam habent, numero nationes alias æquet aut ſuperet, ſicut ſcripſit lib. 1. de geſtis ejus concilii Æneas Sylvius nondum Pius. Hæc eſt illa Helena, quæ nuper Tridenti obtinuit.*

§. V.

In ipſo autem Concilio Tridentino multa eſſe contra libertatem Eccleſiæ Gallicanæ definita, adeo non diffitentur Galli, ut paſſim ea de re tanquam de injuria ſibi illata conquerantur. (*a*) Atque hæc cauſa fuit, cur publicam ejus receptionem in Gallia recuſarint, licet ſæpius & ſerio eo nomine a Pontifice rogati fuiſſent. Neque vero in ſola diſciplina Eccleſiaſtica vel moribus pugna eſt, ſed & in doctrina & fide, quod contra ſecus ſentientes poſtea oſtendam. (*b*)

(*a*) *Qui hiſtoriæ Gallicæ Scriptores evolvit, paſſim reperiet eas, de quibus dixi, querelas. Thuanus, Pleixis aliique in hoc argumento ſatis prolixi ſunt. Et in iſtis voluminibus, quæ Parlamenti acta publica continent, hæc quoque materia ſæpius occurrit; ne quid dicam de actis Cleri Gallicani, in quibus ea de re non poterat eſſe ſilentium. Nimis longum foret ea commemorare, quæ legenti obſervata fuerunt.*

(*b*) *Ubi pugna eſt inter Concilii decreta & Eccleſiæ Gallicanæ libertates, Galli nonnunquam ſe jure divino & Scripturæ dictis tuentur, nec dicere dubitant, pugnare illa decreta non tantum cum libertate Eccleſiæ ſuæ, ſed & cum verbi divini auctoritate; at quod tale eſt, ultra ſe porriget quam ritus & conſuetudo.*

§. VI.

Ceterum quam late pateat ille diſſenſus, Hiſtoriæ Gallicæ Scriptores memorant, quamvis in recenſione capitum & in numero controverſiarum paulum diſcrepent. Viginti duos articulos Thuanus adducit, in quibus aperta ſit inter Concilium Tridentinum & Eccleſiam Gallicanam pugna; in quorum enumera-

meratione, ut erat vir cordatus, non diſſimulat, Patres Tridentinos multa in odium Gallorum, & Romanæ curiæ gratiam citra Scripturæ & antiquitatis fundamenta definiviſſe. Verum Du Pleix in Hiſtoria Franciæ viginti ſex articulos exponit, qui libertati Eccleſiæ Gallicanæ repugnare viſi ſint, qui tamen fere omnes ad idem recidunt, quod ea de re memoriæ prodidit Thuanus, niſi quod alio ordine digeſti & paulo accuratius propoſiti ſint. Duo tamen capita adduxit, quorum non meminit Thuanus. (α) Alias ægre fert Concilium Tridentinum in Gallia nondum eſſe publicatum, eoque nomine repugnantes falſe reprehendit (β)

(α) *Notatu digna ſunt duo illa capita, de quibus dixi, apud Du Pleix in Hiſtor. Franc. circa ann. 1593. ſur la Seſſion XXV. chap. XX. Ou le concile ordonne que tous les ſaints canons, conciles generaux, conſtitutions Apoſtoliques (c'eſt à dire faites par les ſouverains Pontifes) en faveur de perſonnes Eccleſiaſtiques, renouvellées & confirmées ſoient obſervées.* Cela eſtant dit ſans limitation n'eſt pas receu en France, ou telles conſtitutions, canons decrets ny conciles ne ſont point receus en ce qu'ils derogent a l'autorité royale, aux droits du Royaume & libertés de l'Egliſe Gallicane.

Sur la meme ſeſſion chap. XXI. ou le méme concile declare, que tout ce qui eſt ordonné en iceluy en quelques termes que ce ſoit touchant la reformations de mœurs & diſcipline Eccleſiaſtique, ſoit entendu ſans deroger à l'autorité du S. Siege. Par ces termes l'autorité du concile en quelque ſens ſemble eſtre ſoumiſe à celle du Pape: ce qui n'eſt pas approuvé en France.

(β) *Il ſeroit tres utile & juſte de faire publier ce concile, lequel comme j'ay dit ailleurs, merite le titre de concile des conciles, pour avoir decis & eclairci plus d'articles de foy que tous les precedens enſemble: & parfaitement ordonné la diſcipline Eccleſiaſtique. Mais ceux qui poſſedent pluſieurs benefices incompatibles, & les autres, qui pour leur conſideration s'y trouvent intereſſees, s'oppoſeront toujours ſous d'autres pretextes à la publication de ce ſaint Concile.*

Juvat adſcribere Verba Thuani, lib. CV. in hiſt. A. C. M. D. XCIII. p. 320. edit. Par. A. 1620. quibus tota illa controverſia de Concilio Tridentino exprimitur:

Facto comitiis initio prima de Concilio Tridentino conſultatio fuit, quam præcipue urgebat Legatus Pontificius, ut qui citra ejus in regno ſine conditione ulla promulgationem, religionem cujus cauſa bellum gerebatur, poſ-

ſe conſtitui negaret. Re in deliberationem deducta V. Ejd. April. cum multi libertates ac jura & immunitates Eccleſiæ Gallicanæ & Regni cauſarentur, quibus factum eſſet, ut promulgatio Concilii antea toties propoſita huc usque dilata eſſet, negotium datum Johanni Magiſtro , quem curiæ præſidem Meduanius creaverat, & quibusdam aliis Viris probis, & a factione alienis, juris noſtri peritiſſimis, qui Concilium inſpicerent, & quæ in diſciplina, legibus ac moribus noſtris præjudicantia reperirent, adhibito judicio annotarent. Igitur hæc ab illis obſervata, quæ ſalvis juribus ac libertatibus noſtris admitti non poſſent:

1. Quod ſeſſione IV. ſancitum eſt, de Auctoribus & impreſſoribus, quos vocant librorum prohibitorum, ut ii tanquam temeratores & violatores Verbi DEI, juris & arbitrii pœnis per Epiſcopos coerceantur, id adverſari edictis Henrici II. alteri quidem ad Fontem bellaqueum anno 1547. alteri ad Briandi caſtrum anno 1551. conditis, item Caroli IX. in Aureliani comitiis conſtitutioni factæ anno 1560. & ſexto poſt anno Molinii repetitæ.

2. Quod ſeſſione VI. cap. 1. Concilium Epiſcopos inſtituendi poteſtatem facit Pontifici, in Epiſcoporum contumacium locum, qui ad gregem ſuum adſidui non ſunt, alios ſufficienti, id nominationibus Regiis & pactis inter Leonem X. & Franciſcum I. initis derogare.

3. Quod ſeſſione VII. cap. 15. ſeſſione XXI. c. 8. ſeſſione XXII. c. 8. ſeſſione XXV. c. 8. Epiſcopi tanquam a ſede Apoſtolica delegati omnium tam in ultima voluntate, quam inter vivos piarum donationum executores, noſocomiorum, collegiorum item fabricarum & confraternitatum laicarum ac ſcholarum inſpectores conſtituuntur, eisque jus de iis cognoſcendi, fructus diſpenſandi ac ſequeſtrandi, rationes exigendi, pravos adminiſtratores & in munere ſuo negligenteis abrogandi, aliosque in eorum locum ſubſtituendi tribuit: at contra edictis Regiis anni 1544. & anni ſeq. 1560. & anni rurſus ſequentis rationum exigendarum, & hujusmodi rerum cognitionem Regiis Judicibus tribui, ne Regiæ auctoritati derogetur, ad quam omnium rerum ſolam, quæ ditioni ſuæ ſubſunt, cognitio pertinet, cujusmodi noſocomiorum, fabricarum, Collegiorum & ſcholarum bona ſunt.

4. Quod ſeſſione XXIV. c. 5. conſervatoriæ literæ ac conſervatores judices omnino abolentur, ſine diſtinctione, Regii an Eccleſiaſtici judices ſint? hoc caput Regiæ auctoritati in eo, quod Regios judices non excipit, derogare, et Senatus decretis in eo, quod Eccleſiaſticos conſervatores ſpectat, quorum jurisdictio ab illis confirmatur.

5. Quod eadem ſeſſ. c. 1. animadvertendi in clandeſtina matrimonia contrahen-

trahen-

trahentes & teſtes qui adfuerunt, Epiſcopis facultas datur, id eſſe contra uſum inter nos receptum & Senatus conſulta, quæ Eccleſiaſtico judici tantum de fœdere matrimonii cognoſcere licere decernunt: de aliis, ut de dote, de damnis & Intereſſe, de pœnis infligendis, non licere; nam de iis tantum judices Regios pronunciare, idque Blœſenſibus comitiis caveri.

6. Quod ſeſſ. XXV. c 9. cognitio de patronatibus tam laicis quam ſacris, Epiſcopis attribuitur, pugnare hoc cum jure noſtro & Senatus conſultis, quæ de patronatibus laicis cognitionem judici Regio tribuunt, ſive de poſſeſſorio, ſive de petitorio agatur, cognitionem item ei tribuunt, de petitorio reſervata Epiſcopo cognitione.

7. Quod ſeſſ. XXI. c. 4. edicitur, ut illis ſacerdotibus, qui de novo erunt Eccleſiis noviter erectis præficiendi, competens adſignetur portio, arbitrio Epiſcopi, ex fructibus ad Eccleſiam matricem quomodocunque pertinentibus: & ſi neceſſe fuerit, compellere poſſit populum ea ſubminiſtrare, quæ ſufficiant ad vitam eorum ſuſtentandam: id eſſe contra uſum in regno receptum, qui nullum Epiſcopo in laicos jus tribuit, niſi in iis, quæ ad Sacramenta aliasque Spiritualeis pertinent, non autem in rebus ſoli, cujusmodi ſunt alimenta.

8. Quod eadem ſeſſ. c. 8. mandatur Epiſcopis, ut Sacerdotiorum ædificia inviſant, curentque etiam per ſequeſtrationem fructuum, ut, quæ renovatione indigent aut inſtauratione, reficiantur: id pugnare cum Senatus conſultis, quæ ſæpius pronunciarunt de ædificiorum hujusmodi refectione, tanquam de re ſoli, ſolos judices Regios cognoſcere ac ſtatuere poſſe: Item cum uſu apud nos recepto, qui pignorum ac ſequeſtrandorum fructuum jus Eccleſiaſtico judici omnino interdicit, idque ſolis judicibus Regiis aut aliis laicis concedit.

9. Quod ſeſſione ſeq. c. 10. jus tribuitur Epiſcopis, ut poſſint in quoscunque Notarios, etiamſi Apoſtolica, Imperiali aut Regia auctoritate creati fuerint, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegati inquirere, & examinatione adhibita eorum peritiam ſcrutari, illisque non idoneis repertis, aut quomodocunque in munere ſuo delinquentibus ejus, in negotiis, litibus & cauſis Eccleſiaſticis ac ſpiritualibus, exercendi uſum perpetuo aut ad tempus prohibere: id auctoritati Regiæ ac Magiſtratuum adverſari, ad quos ſolos nec alios pertinet, munere ſuo Officialeis Regios privare, aut ad tempus ejus exercendi uſum prohibere.

10. Quod ſeſſ. XXIII. c. 6. Bonifacii VIII. conſtitutio confirmatur, qua clerici conjugati non bigami prima tonſura initiati juriſdictioni Epiſcopi ſubjiciuntur omnibus cauſis tam civilibus, quam criminalibus: hoc directe pugnare

cum

cum auctoritate Regia & ipſius jurisdictione, atque adeo uſu apud nos uſurpato; quo conjugati ac ſoluti laici licet tonſura initiati, Epiſcopi jurisdictioni minime ſubjacent, niſi de Sacramento aut re pure ſpirituali agatur.

11. Quod ſeſſione ſeq. c. 8. coercitio contra concubinarios & adulteros tam viros quam fœminas Epiſcopis ſive Ordinariis tribuitur: id pariter Regis auctoritati refragari, ejusqve magiſtratibus, penes quos ſolos de concubinatu & adulterio inter laicos cognitio eſt.

12. Quod ſeſſ. eadem, c. 9. Indulta ſ. nominationes, Collegiis, Univerſitatibus, Senatoribus aliisque perſonis ſingularibus conceſſæ abrogantur, id in Senatus Pariſienſis odium ac præjudicium decretum eſſe.

13. Quod ſeſſ. XXV. c. 3. conceditur omnibus monaſteriis ac domibus tam virorum quam mulierum & mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Franciſci & Capucinorum, etiam quibus aut ex conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia poſſidere eis liceat: caput illud mendicantium ordinationi pugnare, compluribus curiæ decretis approbatæ ac confirmatæ, cui derogari non poteſt, quantum ad res ſoli ſpectat, cujusmodi immobilia ſunt, niſi de expreſſo Regis mandato, ac per ejus diplomata in Senatu promulgata.

14. Quod ibid. c. 3. Synodus Epiſcopis concedit, ut in cauſis civilibus ad forum Eccleſiaſticum quacunque ratione pertinentibus contra quoscunque etiam laicos per multas pecuniarias, ſ. per captionem pignorum perſonarumque diſtrictionem, per proprios aut alienos executores faciendam, etiam per privationem ſacerdotiorum, aliaque juris remedia procedere & cauſas definire poſſint: pugnare hunc artic. directe cum uſu apud nos recepto innumeris Senatus conſultis confirmato, qui Eccleſiaſticis judicibus, quod nullum territorium habeant, ſententiarum ac judiciorum ab ipſis latorum executionem contra condemnatos per captionem pignorum aut perſonarum diſtrictionem interdicit, adeo, ut, quum his remediis uti volunt, brachii ſecularis opem implorare neceſſe habeant.

15. Quod eodem cap. edicitur, ut excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmiſſis, ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis ſ. ſubtractis rebus fieri ſolent non alias quam ex re non vulgari cauſaque diligenter ac magna maturitate ab Epiſcopo examinata decernantur, nec ad eas concedendas, cujusvis ſecularis etiam magiſtratus auctoritate adducatur; Sed totum hoc in ejus arbitrio & conſcientia ſit poſitum; item nefas ſit magiſtratui cuivis ſeculari prohibere Eccleſiaſtico judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet: id auctoritatem Senatuum

tuum evertere, qui eo jure utuntur, & poſſunt, quum a ſententia excommunicationis quaſi abuſiva, a judice Eccleſiaſtico lata appellatum eſt, mandare ac jubere, ut pendente appellatione excommunicatus ad cautelam abſolvatur, ad idque faciendum & abſolutionis beneficium impertiendum Epiſcopus ſ. ejus vicarius per pignorum captionem cogatur; nec in eo auctoritatem Senatuum in dubium revocari debere ab Eccleſiaſticis judicibus, cum partium jura cenſuris adjuvari poſſe pronunciarunt.

16. Quod eadem ſeſſ. c. 19. Synodus Regem excommunicat & privat ea civitate ac loco, in qvo duella committendi copiam fecerit: id Regis auctoritati pugnare, qui nulla ditionis ſuæ parte privari poteſt, quia quantum ad ea pertinet, nullum ſuperiorem ullatenus agnoſcit.

17. Quod cap. ſeq. Synodus decernit ac præcipit, ut ſacri canones & concilia generalia omnia, nec non aliæ Apoſtolicæ ſanctiones in favorem eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis eccleſiaſticæ, & contra ejus violatores editæ, quæ omnia præſenti decreto innovat, exacte ab omnibus ſerventur, late nimis hunc artic. conceptum eſſe: nam ſi locum haberet, ex eo ſequeretur, ut cunctæ decretales conſtitutiones, totus liber VI. a Bonifacio VIII. additus, cunctæ extravagantes, atque adeo regulæ Cancellariæ Romanæ omnes ſervarentur, quarum pleræque tamen nunquam in Francia ſervatæ ſunt, ſicque jurisdictio Regia penitus enervaretur; & per immunitatem, quam ſacer ordo per eas ſibi vindicat, omne tributorum & ſubſidiorum ad Regni tutelam a Regibus impoſitorum onus in ordinem plebejum recideret.

18. Quod ibid. c. 21. edicitur, ut omnia, quæ de morum correctione atque Sacra diſciplina in ea ſacra Synodo ſtatuta ſunt, ita decreta ſint, ut in his ſalva ſemper auctoritas ſedis Apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur: id pugnare cum Senatusconſultis, quæ ſæpius pronunciarunt, non licere ſummo Pontifici gratiam facere Eccleſiaſticis in iis, quæ ſanctis decretis & Conciliis ſancita ſunt, & quotiescunque ab executione diplomatum pontificiorum, tanquam ab abuſu, quod contra Concilia lata eſſent, appellatum eſt, ea nulla & abuſiva declaravit: Sicque Sanctorum decretorum & Conciliorum auctoritatem in Francia conſervatam fuiſſe, tum hoc articulo appellationum ab abuſu remedium tolli, atque una ſancta conciliorum omnium decreta, & hujus ipſius, quod ita receptum eſſet, aboleri.

19. Quod vero ſeſſ. XIII. c. 8. & ſeſſ. XXIV. c. 5. edicitur, cauſas Epiſcoporum criminales coram Pontifice referri ac per ipſum terminari debere,

etiam cum de concubinatu agitur: id auctoritati provincialis Synodi & Metropolitanorum adverſari, ad quos jure competit de cauſis Epiſcoporum cognoſcere; ſaltem in criminibus, in quibus minime requiritur, ut a munere ſuo deponantur: item adverſari Regis, & ejus Magiſtratuum auctoritati, quibus jus eſt, inter hujusmodi perſonas de caſu privilegiato cognoſcere excluſo ſummo Pontifice & aliis Eccleſiaſticis, etiamſi Epiſcopi vel Archiepiſcopi fuerint.

20. Quod ead. ſeſſ. XXIV. cap. 20. dicitur, quasdam cauſas eſſe, quæ juxta Canonicas Sanctiones apud ſedem Apoſtolicam ſint tractandæ; alias idem, quas ex urgenti juſtaque cauſa judicaverit Rom. Pontifex per ſpeciale reſcriptum propria manu ſubſcribendum committere aut evocare: id vero pugnare contra libertatem eccleſiæ Gallicanæ, & contra decretum *de cauſis* in ſanctione pragmatica, quod ex Conſtantienſi & Baſileenſi Conciliis transſcriptum eſt.

21. Quod ſeſſ. VII. c. 6., ſeſſ. XXIV. cap. 12., ſeſſ. XV. cap. 9. Synodus poteſtatem facit Pontifici uniones Sacerdotiorum, quanquam nullas nec rite factas, confirmare; item gratioſas diſpenſationes concedere, & ultimarum voluntatum vota commutare: hæc duo contra Conciliorum auctoritatem & Senatus conſulta ſtatuta fuiſſe, quæ uniones, extra caſus in jure poſitos, factas; item gratioſas contra concilia diſpenſationes nullas & abuſivas & poteſtati ſupremæ Regis ac Magiſtratuum ejus intra regni limites ex adverſo repugnanteis ſæpius declararunt.

22. Præterea Synodum multa Epiſcopis committere peragenda, auctoritate Apoſtolica, quæ illi facere poſſunt & debent auctoritate ordinaria; ut in ſeſſ. V. cap. 1. & 2. ſeſſ. VII. cap. 6. & 8. ſeſſ. XXI. c. 3. ac ſequentibus usque ad 8. ſeſſ. XXII. c. 5. 6. 8. ſeſſ. XXV. cap. 9. Hoc etiam Senatusconſultis repugnare, quæ hujusmodi executiones auctoritate Apoſtolica factas abuſivas pronunciarunt, & ipſis Eccleſiaſticis oneroſas: quorum cauſæ ſi quidem poteſtate ordinaria ferretur ſententia, per appellationem ad Archiepiſcopum tantum devolverentur: per hæc autem verba auctoritate Apoſtolica cogi illos ire aut Romam mittere, ut judices delegatos habeant: Id etiam non mediocriter Metropolitanorum jurisdictionem labefactare. Poſtremo iis ac pleriſque aliis locis Synodum omneis omnino ab Epiſcopalibus judiciis appellationes tollere; quod contra appellationum ab abuſu in

Fran-

Francia ſemper uſurpatarum libertatem conſtitutum eſt, quæ tribus in caſibus locum habent, quando S. S. Conciliis & conſtitutionibus Regiis aliquid contrarium decernitur, aut jurisdictioni Regiæ præjudicium affertur. Hæc quum Johannes Magiſter & alii in publico conventu ſibi comperta dicerent, quæ Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus & Regni juribus ac immunitatibus adverſarentur, magna gratulatione a quibusdam accepta, ab aliis qui numero vincebant, in offenſionem verſa ſunt. Pontificius Legatus, qui cum res communicata eſt, cum vereretur, ne contentione ob id inter delegatos excitata conventus turbaretur, offenſionis ſenſum ad tempus preſſit, & opportuniorem occaſionem operiens, negotium urgere deſiit; jam enim voces paſſim audiebantur, libertatem publicam per Tridentini Concilii promulgationem opprimi querentium & colloquii conditi tempus inſtabat, per quod prudentioribus inter eos periculoſum videbatur, rem tot difficultatibus implicatam aggredi. *Hactenus Thuanus.*

§. VII.

Quanto ambitu contineatur diſſenſus Eccleſiæ Gallicanæ a Concilio Tridentino, ex inſpectione articulorum patet, quos modo laudavi. Illud nunc reſtat diſcutiendum, an ille diſſenſus in ſola diſciplina Eccleſiaſtica & moribus terminetur, an vero etiam ad ipſam fidei doctrinam ſeſe extendat. Equidem qui ſalvam volunt Tridentini auctoritatem, nullam ajunt in fide diſcrepantiam eſſe, pugnam omnem circa externam Eccleſiæ diſciplinam, ritus et conſuetudines verſari: in quo libertatis ſuæ jura tueri poſſit Eccleſia Gallicana, ne tamen quicquam Concilii Sanctiſſimi auctoritati derogetur (a) quod tamen inane tantum eſt effugium. Si vel maxime lis eſſet tantum de diſciplina Eccleſiaſtica, num ordinationi Tridentinæ impune ſeſe ſubducere poterit Eccleſia particularis? num anathema ſpernere? num ritus & conſuetudines ſuas univerſalibus decretis anteferre? num denique canones ſuos opponere canonibus Concilii, quod Concilium omnium Conciliorum audit? ut ſupra nos docuit Du Pleix in Hiſtoria Fran-

Digitized by Google

ciæ. At vero errant, qui pugnæ iſti in ſolis adiaphoris terminos figunt. Latius illa patet & doctrinæ fidei ſeſe immiſcet, imo ipſum principium & fundamentum Eccleſiæ Romanæ concernit. (β)

(α) *Ita Grammond. l. 1. Hiſtor. Gall. p. m. 69. Imbuebamur Concilii Oecumenici doctrina, & ſi quid irrepſerat contra politicas leges aut privilegia regni, explicari fas erat, aut mutari prout proponebatur: Non hæc concilio, quod vocant, eſſentialia, non hæc de fide: Parerga erant, citra neceſſitatem adjecta, quæ nihil vetuit leniri, aut tolli penitus: quæ contra objiciebantur, vana erant.*

(β) *Sic etiam diſcrimen iſtud extenuat du Pleix Hiſtoire de France circa ann.* 1593. *& plerumque hæc eſt illorum excuſatio, cum diſſenſus objicitur, non eſſe de fide, quæ ultro citroque diſputantur.*

§. VIII.

Mirum eſt, rem parvi momenti a Gallis haberi, quæ tantæ amplitudinis eſt, ut per omnes fere fidei articulos omnesque ſtatus hominum ſeſe diffundat. Triplex hominum ſtatus eſt, Eccleſiaſticus, politicus & Oeconomicus, ſed in iſtis principiis, quibus illi ſtatus reguntur, Eccleſia Gallicana neque cum mente Concilii Tridentini, neque cum Romanæ ſedis hypotheſibus concordat. Videamus ſtatum Eccleſiaſticum, *cujus regimen Monarchicum eſſe debere ſub uno capite, nempe Pontifice Romano, cui jure divino ſuprema in Eccleſiam auctoritas, ſumma decidendi facultas, & infallibilis judicandi poteſtas competat*, fortiter Romæ docetur; in Gallia vero multis modis rejicitur. Neque enim forma Eccleſiæ Monarchica ſed Ariſtocratica potius Epiſcopis placet: Suprema decidendi poteſtas non Pontifici ſed Conciliis vindicatur. Illa hactenus decantata *infallibilitas Papæ* penitus deſtruitur. Verum quidem eſt de ſummi Pontificis infallibilitate nihil in Tridentino expreſſe decretum fuiſſe, ſed judicandum eſt de hoc articulo ex mente

Digitized by Google

mente & intentione Concilii, quæ ſane hæc fuit, ut ipſo facto ſedis Romanæ infallibilitatem inculcarent. Unde etiam Curiæ Romanæ ſatellites dicere ſolent; *in omnibus Tridentini decretis quaſi tacite & implicite hunc articulum contineri.* Non diſputo nunc quam vere illa dicantur, nobis enim hinc nec ſeritur, nec metitur, ſive Tridentina Synodo Pontificis Romani infallibilitatem agnoſcat, ſive præſupponat ſive tacite involvat. Illud tamen certum eſt, olim Eccleſiam Gallicanam judicaſſe hoc dogma in Tridentino ſtabilitum, eamque ob cauſam Anno 1593. publicam ejus receptionem renuiſſe. (α) Hoc vero certius adhuc, maximum ſemper fidei caput inter Pontificios fuiſſe *de capite ſummo Eccleſiæ viſibili & infallibili*, neque arbitror, Romam eo facile adductum iri, ut Gallis concedat, hanc doctrinam non eſſe de fide. Certe ſæpius a Syncretiſtis Pontificiis aſſertum eſt, Proteſtantes ſuis opinionibus relinqui & in Eccleſiæ Romanæ gremium recipi poſſe, modo Pontificem Romanum pro capite Eccleſiæ viſibili eoque infallibili agnoſcant. Tanti viſus eſt illis hic articulus, ut reliqui omnes ad eum comparati quaſi nullo loco haberentur. (β)

(α) *Hoc patet ex iis, quorum ſupra memini in recenſione XXII. articulorum; Verba du Pleix in Hiſtor. Henr. IV. ad ann. 1593. p.m. 115. hæc ſunt. La méme Concile declare, que tout ce qui eſt ordonné en iceluy en quelques termes, que ce ſoit touchant la reformation de mœurs & diſcipline Eccleſiaſtique ſoit entendu ſans deroger à l' autorité du S. Siege. Par ces termes, l' autorité du Concile en quelque ſens ſemble eſtre ſoumiſe à celle du Pape: ce qui n'eſt pas approuvé en France.*

(β) *Exemplum hiſtoria præbet in Eccleſiis Græcis Ruſſiæ Polonicæ, quibus Roma opinionum ſuarum rituumque libertatem indulſit, modo Pontificis primatum agnoſcerent; quo facto iſtæ Eccleſiæ ſenſim in Pontificias mutatæ ſunt. Pari modo Paulus IV. Pontifex Eliſabethæ, Angliæ Reginæ, ſinum Romanæ Eccleſiæ offerebat, relicto etiam jure Sacrorum, modo in Primatum ejus conſentire vellet. Eademq; methodus nuper fuit illius Epiſcopi Thinenſis, qui per plurimas Principum Evangelicorum aulas vagatus, in gratiam*

Pontificis noſtros recipi poſſe dixit, Laicis reſtitui etiam calicem, matrimonia Clericis permitti poſſe, ac in reliquis facilem fore conſenſum, modo Papali dignitati ſeſe ſubmitterent, hoc eſt, ut rectius interpreter, excuſſo Tyrannidis jugo denuo collum ſubderent.

§. IX.

Ex quo apparet, quanti ponderis hic articulus apud γνησίως Pontificios habeatur, ut eo ſalvo ne quidem de reliquis ſollicita ſit Roma. Quis ergo credat in Romana Eccleſia hoc dogma non eſſe de fide? quod omnibus fidei articulis anteponitur, quo ſalvo facilis eſt in reliquis compoſitio. Quo negato hæreſeos nomen durat, admiſſo autem, etiam Schiſmatis nota exſpirat. Certum enim illud eſt, Eccleſiam Græcam, ſi Papæ ſe ſubjiceret, retentis etiam erroribus *de Proceſſione Spiritus S. à ſolo Patre, de Azymo* &c. in gremio Eccleſiæ toleratum iri. *Bellarminus, Becanus*, aliique adulatores Romanæ ſedis præcipuam ajunt hæreſin eſſe, ſi quis Pontificatum labefactare conetur: Quo nomine anne hodie ſuſpecti ſint Galli, ipſa Roma judicet. Saltem nunquam crediderim, Romam & Galliam in fide conſentire, quousque in ipſo Fidei principio non convenerint. Qua de re infra pluribus dicetur in peculiari capite de *Schiſmate Galliæ reali*.

§. X.

At vero ut magis pateat diſſenſus Eccleſiæ Gallicanæ a Concilio Tridentino, prodeat illa vexata quæſtio: *An Clerici poteſtati civili ſubjaceant?* Quid dogmatis eſt, pro quo Clerus Pontificius fortius pugnet quam pro immunitate Clericorum & exemptione a jurisdictione civili? Canoniſtæ hanc eſſe ajunt communem ſententiam; *Clericos a poteſtate civili ſimpliciter & abſolute & quidem jure divino eſſe exemptos, nec quicquam licere Magiſtratui politico ſeu in bona, ſive in vitam, ſive denique in honorem eorum.* (a) Unde etiam Moraliſtæ concludunt, ſi forte

Cle-

Digitized by Google

Clericus rebellionis contra Principem ſecularem particeps eſſet, non tamen criminis læſæ Majeſtatis reum fieri. (β) Pro immunitate autem Clericorum jus divinum & humanum urget *Bonifacius VIII. C. quanquam de cenſibus*; expreſſe pronuncians: *Jure divino & humano Clericos eorumque bona a ſeculari poteſtate libera eſſe.* In quam ſententiam legi quoque meretur *Concilium Lateranenſe ſub Leone X. Seſſ. IX.* Nec abiit ab hac communi ſententia *Concilium Tridentinum, ſeſſ. XXV. cap. 20.*

(α) *Jus divinum urgent iſti homines, nec tamen tabulas juris producunt, immemores plane facti Salomonis, qui ſummum Sacerdotem Abjatharem de ſtatu dignitatis & officii dejecit.* 1. *Reg. II. 27. Conſulant Canoniſtæ ipſum Jus Canonicum, & ex eo diſcant, Imperatores olim habuiſſe poteſtatem non Clericos tantum inferiores, ſed et ipſos Pontifices coërcendi. Id probavit Jacobus I. Rex Angliæ in præfatione monitorii ad Principes Chriſtianos. Veneti etiam in reſponſione ſua ad Parareſin Baronii idem prolixe ſatis demonſtrarunt. Non vacat hic commemorare exempla Conſtantii & Juſtiniani Imperatorum, quorum ille Papam Liberium in exilium miſit, hic autem depoſuit Sylverium. Ne quid de Ottone I. addam, qui Iohannem XII. ſede expulit, ſuffecto in ejus locum Leone VIII. aut de Henrico III. Imperat. qui Gregorium VI. de ſtatione papali dejecit, & Clementem II. ordinari juſſit.*

(β) *Legi poteſt Suarez in defenſione fidei Catholicæ adverſus Anglos lib. IV. & Becan. in Reſponſ. ad Aphoriſm. Calviniſt. p. 74. Ceterum quam pernicioſa ſit Reip. hæc doctrina, prolixe probat Arniſæus tractat. de Exemptione Cleric. Conf. Laurent. Banc. tractat. de Tyrannide Papæ cap. 9. pag.* 217.

§. XI.

Quid vero ad hæc clerus Gallicanus? pernicioſam eſſe ait hanc doctrinam, nec in Rep. bene conſtituta tolerandam; imo eam repugnare Juri divino, & auctoritati Regum divinitus conceſſæ vim inferre. Exemptionem clericorum in Scriptura non eſſe fundatam, ſubjici eos potius ſeculari poteſtati lege divi-

divina, nec quicquam obſtare, quo minus Magiſtratus pro re nata in eorum bona, vitam & fortunas animadvertere poſſit. In criminalibus, perſonalibus & civilibus eandem eſſe omnium ſubditorum rationem. Idque juris divini & humani eſſe ajunt, provocantes ad univerſalitatem dicti *Rom. XIII. 1. omnis anima poteſtatibus ſubdita ſit.* (α)

(α) *Jam olim hunc locum Carolus Calvus Rex Galliæ contra Adrianum II. in Epiſtola ad Pontificem urgebat; ut videre eſt in Catalogo teſtium veritatis pag. 942. Hodie autem a clero Gallicano ad nauſeam usque inculcatur, ſicubi de negotiis Regaliæ quæſtio eſt. Et ſane univerſalitati Apoſtoli rectiſſime inſiſtunt, ſecuti Bernhardum, qui ad Archiepiſcopum Senonenſem Epiſt. XLII: Si omnis, inquit, anima ſubjecta debet eſſe, Ergo & veſtra. Quis vos excepit ab univerſalitate? ſi quis tentat excipere, conatur decipere.*

§. XII.

Porro *Pontifici Romano tantum licere in Reges ac Principes imo & Imperatores, ut eos ſi quidem in hæreſin incidant, aut Romanæ ſedi ſeſe opponant, de regno deturbare, poſſeſſionibus ſuis expellere, ſubditos autem juramento fidelitatis ſolvere poſſit*, non tantum Roma docuit, ſed & facto comprobatum voluit. Eademque ſententia licet in Concilio Tridentino non ſit expreſſa, conformis tamen illis eſt (α) contra vero nunquam Gallia eo ſimplicitatis aut ſuperſtitionis progreſſa eſt, ut huic doctrinæ papali aſſurgeret, quin potius eam partim ſeditioſam, partim Scripturæ contrariam, & in Majeſtatem Regum injuriam, partim etiam Babylonis, hoc eſt, Anti-Chriſtianiſmi notam interpretata eſt, ut infra ex hiſtoria Philippi Pulchri, Henrici II. Ludovici XII. patebit. (β)

(α) *Certe hanc doctrinam Concilio Tridentino conformem eſſe credidit olim populus in Gallia; nam & hæc ipſi cauſa erat, cur publicam Concilii receptionem nollent, quam etiam non ante admiſere, quam Clerus iſtam hypotheſin aboleret.* Verba *Grammondi lib. 1. ea de re hæc ſunt: Creditum*

tunc

tunc, potuiſſe conciliari opiniones Cleri & populi facta quaſi compenſatione: nempe ſi clerus articulum tertii ordinis admitteret, negantem Summo Pontifici jus eſſe in regna: *eo caſu populi aſſenſu ſalvam fore in Gallia doctrinam Tridentini.*

(β) *Anno 1615. in Comitiis Galliæ publicis ventilata eſt hæc quæſtio, & in utramque partem doctè graviterque agitata: An ſummus Pontifex poteſtatem in Reges obtineat? Ordo Eccleſiaſticus perorante doctiſſime Perronio Cardinale vindicabat ſummo Pontifici in Sceptra Regum poteſtatem certis caſibus, nempe ſi in hæreſin aut idolorum cultum prolapſi ſubditorum animis nova inſinuent dogmata, ſeu quod pejus, ſi reluctantes adigant, ut fidem abdicent. Contrariam opinionem novam eſſe, Luthero & Calvino fautoribus nuper natam. In ſuam vero ſententiam exactis ſeculis itum, iri & hodie paſſim toto orbe Catholico* NB. ſi Galliam demas. *Sed contra e tertio ordine ad Clerum delegati dixere. Pontificis poteſtatem in regna circa temporalia nullam eſſe. Chriſtum ipſum diverſas habuiſſe a gladio claves, Petrum, ubi in arma etiam juſte proruperat, gladium mittere juſſum in vaginam, ne qui reſtaurandis inſtituebatur, truncaret membra. Manſuete poſt regnaſſe Eccleſiam, cui imperium eſt in volentes. Allegabant quoque Chriſti reſponſum Pilato datum: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Itemque illud: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Provocabant etiam ad Paulum, qui verbis & facto docuerit, Regibus impreſſum eſſe deſuper characterem, quo ſuprema in ſubditos poteſtate jus dicant. Aſſenſere Lutetiani Parlamenti Patres, nec multo poſt vulgatum confirmandæ ſententiæ placitum in hanc ſummam:* Rogante Procuratore Regio Senatus cenſuit, pro lege politica regnoque fundamentali habendum poſthac, quod Rex Galliæ unius DEI beneficio regnet, quod neminem in temporalibus agnoſcat, quod ſacrum ipſius caput ſit, ita ut nemini jus ſit eum quocunque prætextu occidere. *Vid. Grammond. lib. 1. Hiſtor. p. m. 68.*

§. XIII.

Quæſtio eſt, ut opinor, magni momenti, *An matrimonia citra conſenſum Parentum contracta irrita ſint & num Parentes ea rata vel irrita facere poſſint. Concilium Tridentinum ſeſſ. XIV. cap. 1.* de Reformi negativam tuetur, definiendo: *Matrimonia*

abs-

abſque parentum conſenſu contracta nihilominus rata eſſe debere, quin eo progreditur, ut ſecus ſentientibus anathema ſcribat. Contra vero Eccleſia Gallicana affirmativam quæſtionis partem amplectitur, ita requirens Parentum conſenſum ad eſſe matrimonii, ut ſine eo irritum ſit ac nullum. Qua de re ante annos non ita multos nempe Anno 1674. liber prodiit ſingularis in hoc argumento totus occupatus, qui inſcribitur: *Regia in matrimonium poteſtas* Auctore Johanne Launojo. Non placuit iſte liber Romæ, cui proinde Dominicus Galeſius Rubenſium Epiſcopus & Canonici Juris Profeſſor Roman. alium oppoſuit tractatum, ſed paulo poſt a Launojo graviter & ſolide refutatus eſt. Eccleſiæ Gallicanæ ſententiam Rex ipſo facto fortiter tuetur, in omnibus Judiciis ſevere animadvertens in eos, qui minorennes inſciis parentibus conjugium contraxere: nec quicquam obſtat, quo minus ejusmodi matrimonia, etiamſi per aliquot annos contracta, ſi Parentes velint, reſcindantur, vel potius, ut loqui malunt, pro irritis & nullis declarentur. Ita enim ad eſſentiam matrimonii conſenſum Parentum requirunt, ut citra eum matrimonium *eſſentialiter & formaliter* incompletum imo nullum fuiſſe dicatur. *Anno 1681.* Rex Galliæ etiam in Lotharingia edictum publicari juſſit, ante vigeſimum quintum annum citra conſenſum Parentum a nemine matrimonium valide contrahi poſſe. Et in Alſatia, quæ Regis imperio ſubeſt, publica quoque ſententia cautum eſt, ne quid liceat clandeſtinis connubiis; quæ Rex pro raptu habeat, eandemque delinquentibus pœnam intermінetur, quæ raptoribus decreta eſt.

§. XIV.

In cauſis matrimonialibus quis judex eſſe debeat, hinc quoque lis oritur. Gallia enim Regi ſuo cognitionem cauſarum matrimonialium, itemque leges circa eas vindicat; Roma vero ad Forum Eccleſiaſticum hoc negotium ſpectare clamat. Concilium

cilium Tridentinum conceptis verbis in eum, qui ad Judices Eccleſiaſticos cauſas matrimoniales pertinere negaverit, anathema pronunciat. Hic ergo quis invicem conferat Concilii Tridentini & Eccleſiæ Gallicanæ ſententiam: Illud matrimonia ſine conſenſu Parentum contracta pro ratis habet; hæc pro irritis. Illud cauſas matrimoniales ſoli judicio Eccleſiaſtico ſubjicit; hæc autem legibus & ſtatutis civilibus eas ſubmittit. Illud anathema dicit ſecus ſentientibus; Hæc brutum anathematis fulmen ridet, & ipſa damnat. Quod Concilium Tridentinum pro licito & rato habendum definivit, Gallia ut raptum prohibet, pœnaque graviſſima coërcet. Judicet æquus Lector, an hæc ſint parvi momenti, & qualis illa ſit, quam jactant, Sacerdotii & imperii concordia.

NOTA. *Optatus Gallus in libro de cavendo Schiſmate Galliæ, cujus ſupra mentionem feci, hoc argumentum fortiſſime urget, nec ſine ratione. Babardeus in reſponſione ſua fruſtra hunc ictum declinare conatur, quod infra docebimus.*

§. XV.

Supra dixi, rejectum a Gallis Concilium Tridentinum, nec niſi ſero & ægre receptum fuiſſe; Juvat igitur ab alto repetere hujus rei memoriam. In ipſo Concilio Tridentino Epiſcopos Galliæ plurimis Patrum decretis contradixiſſe, paulo ante obſervavimus. Finito autem Concilio, an recipi in Gallia deberet, diu in utramque partem & ſatis quidem graviter diſceptatum eſt. Henricus II. adverſus Concilii decreta plus vice ſimplici proteſtatus fuerat. Henricus III. nullis precibus adduci potuit, ut publicæ ejus receptioni annueret. Anno 1579. clerus Gallicanus ſolenniſſime apud Henricum III. precibus inſtabat, ut promulgationi publicæ locum faceret: Ille vero rem eſſe dicebat altioris indaginis, de qua nihil ante ſtatuere poſſit, quam mentem Conſiliariorum & præcipue Parlamenti ſententiam perceperit. (a) Rediere poſtea Anno 1585. ad eundem Regem Cleri Oratores, idem vehementiſſime rogantes, ſed re-

 pulſam

Digitized by Google

pulſam tulerunt. Seqventi anno denuo venere precibus & lacrimis armati, ſed fruſtra fuit eorum conatus. *Anno 1593.* Tempore ſeditionis in Gallia, Legatus Pontificis, qui Henrici IV. hoſtibus, quos tum la ligue vocabant, haud obſcure favebat, in Comitiis Lutetiæ habitis primo loco hunc articulum proponebat, ut *Concilium Tridentinum absque conditionibus & limitationibus in Gallia publice reciperetur*, idque ſe tum temporis, ſi unquam alias, facile obtenturum eſſe ſperabat Pontifex, quod ſtatus unionis illius ſeu ligæ Romæ & Hiſpaniæ ſubſidiis egeret. Nihilominus tamen opponentes ſtatim inveniebat iſta propoſitio, quod jam ſæpius antehac ne quicquam repetita a cunctis Regibus rejecta fuiſſet. Ut res tamen rite gereretur, id negotii datum eſt Johanni Magiſtro aliisque Viris doctis & prudentibus, jurium libertatisque Galliæ peritis, ut in doctrinam Concilii Tridentini ſedulo inquirerent. Quo facto inventi ſunt XXII. articuli, vel ut alii Hiſtoriæ calculum poſuere, XXVI, qui cum libertate Eccleſiæ Gallicanæ pugnarent. Itaque & hujus Legati irritum fuit inſtitutum, præſertim cum paſſim in Gallia voces audirentur, libertatem publicam per Tridentinum Concilium opprimi querentium. Poſtea quidem privato Conſilio Dux Meduanius, ut Legati Pontificis precibus faceret ſatis, illud promulgari juſſit absque ulla conditione vel reſtrictione; Sed hujus facti nullus in Gallia valor & auctoritas poſtmodum erat. (β)

(α) *Videantur acta Cleri Gallicani Tom. 5. part. 7. pag. 4.* Item *Tom. 5. part. 8. pag. 89. ubi crebra eorum inſtantia annotata leguntur.*

(β) *Factum narrat du Pleix Hiſtoire de France circa ann. 1593. pag. 112. Le Duc de Mayenne, dit-il, deſirant de donner quelque ſatisfaction au Legat du Pape, n'en trouva point de plus plauſible moyen que de faire publier le Concile de Trente ſans condition ny modification quelquonque: ce qui fut fait en grande ſolennité le VI. d' Aouſt en la méme année. 1593.*

§. XVI.

§. XVI.

Iteratis igitur vicibus poſtea petiit Clerus Gallicanus, ut aliquando publice reciperetur Concilium, ſed vana fuere omnia argumenta, quæ magno numero in medium afferebant. Sive enim unitatem cum Romana Eccleſia, ſive Concilii utilitatem allegarent, plus tamen valuit ratio de Libertate Eccleſiæ Gallicanæ tuenda (α) Imo quo fortius inſtabat Clerus a Pontifice excitatus, eo magis obſtinata erat aula. Anno 1602. tam vilis erat Concilii Tridentini auctoritas, ut libros precum Eccleſiaſticarum a Patribus Tridentini publice recognitos in Eccleſiam Gallicanam recipi vetitum fuerit. (β)

(α) *Anno 1596. 1598. 1605. 1608. 1610. Solennes ea de re fuiſſe Cleri inſtantias ex actis Cleri Gallicani publicis perſpicitur; ubi ſimul orationes in hoc argumento occupatas ſummatim legere licet.*

(β) *Videatur Thuanus circa hunc annum.*

§. XVII.

Tandem anno 1615. ea etiam de re agitata lis eſt; *Expediatne in Gallia promulgari Concilium Tridentinum* (α) Scindebantur autem in duas partes Clerus & populus. Cauſam populi perorabant graviſſimi Viri Miro & Savaronus, docte eleganterque probantes, Concilium Tridentinum cum libertati Eccleſiæ Gallicanæ, tum etiam quibusdam dogmatibus hactenus creditis & receptis adverſari. Sed inſtitit Clerus apud Regem acerrime, ut Concilium publicari permitteret ſub his conditionibus (1) *citra præjudicium jurium Majeſtatis Regis Galliæ.* (2) *Salva libertate Eccleſiæ Gallicanæ.* (3) *Salvis etiam privilegiis & Exemptionibus capitulorum.* (β) Sic quidem obtinuit tandem Clerus, ut ſibi, connivente Rege, liceret publice illud recipere, Rex ipſe autem ſua auctoritate receptionem iſtam non confirmavit. Populo autem blandis verbis perſuaſum eſt, ut in

 illam

illam promulgationem conſentiret, ſpondente Clero, ſe nunquam inpoſterum defenſurum eſſe doctrinam populo exoſam: *Summo Pontifici jus eſſe in regna.* (γ)

(α) *Vid. Grammond. l.1. Hiſtor. p.m.69.*

(β) *Ludovicus Odeſpun Presbyter Turonenſis in lib. de Conciliis noviſſimis Galliæ p. 625. petiiſſe ait Clerum, permitteret Rex, que le Concile univerſel & Oecumenique de Trente ſera receu & publié en ce Royaume, & les conſtitutions d'iceluy gardées & obſervées, ſans prejudice toutefois des droits de ſa Majeſté, libertés de l'Egliſe Gallicane, privileges & exemptions des chapitres, Monaſteres & communautés, pour lesquels privileges & exemptions ſa Sainteté ſera ſuppliée à ce qu'elles ſoient reſervées, & demeurent en leur entier, ſans que la dite publication y puiſſe prejudicier.*

(γ) *In ipſis actis Cleri Gallicani Tom. 1. part. 1. pag. 478. rem totam una cum formula receptionis invenio: La compagnie eſtant entrée en conſultation & deliberation de ce qu'elle devoit faire ſur la reception & publication du Concile de Trente, pour laquelle plusieurs treshumbles & tres inſtantes ſupplications ont eſté faites à leur Majeſtés par les aſſemblées precedentes, par les Eſtats generaux derniers & par la preſente, attendant qu'il leur plaiſe d'y prendre une bonne reſolution & donner favorable reponſe: en ſuite même de ce que le feu Roy Henry le grand par une des reponſes du Cahier a luy preſenté par le Clergé en l'année 1602. auroit ordonné, que les decrets & conſtitutions du dit Sacré concile ſeroient obſervées, & exhorté les Prelats de ſon Royaume de tenir la main à la dite obſervation, apres une longue & meure conference & deliberation du commun & unanime conſentement de l'Aſſemblée, la reſolution ſuivante y a eſté faite:*

Les Cardinaux, Archeveques, Eveques, Prelats & autres Eccleſiaſtiques ſousſignez repreſentans le Clergé General de France aſſemblés par la permiſſion du Roy au convent des Auguſtins à Paris, apres avoir meurement deliberé ſur la reception & publication du Concile de Trente, ont unanimement reconnu & declaré, reconnoiſſent & declarent, qu'ils ſont obligés par leur devoir & conſcience à recevoir, comme de fait ils ont receu & reçoivent le dit Concile & promettent de l'obſerver autant qu'ils peuvent par leurs fonction & autorité ſpirituelle & paſtorale.

§. XVIII.

§. XVIII.

Unde patet, ante illud tempus auctoritatem Concilii Tridentini publicam in Gallia nullam fuiſſe. (α) Neque tamen, quia Clerus illud receperat, ideo publice promulgatum poterat cenſeri: quin potius particulare illud factum erat Cleri, nec Regem obligans nec Galliæ regnum. Unde etiam *A. 1625.* denuo Clerus petiit, ut quemadmodum a ſuo ordine agnitum receptumque erat, Regia quoque auctoritate introduceretur; (β) ſed fruſtra.

(α) *Equidem jam tum Ann. 1564. in provinciali Concilio Rhemenſi per Carolum Cardinalem Lotharingiæ convocato conſtat approbata fuiſſe omnia, quæ de fide ſuperioribus œcumenicis Conciliis & noviſſime in in ſancta generali Synodo Tridentina ſunt definita, ut verba IV. Congregat: ſonant, ſed hæc non erat publica Regis ac Gallicanæ Eccleſiæ receptio, nedum ſolemnis promulgatio.*

(β) *Reperitur hiſtoria in Actis Cleri Gallicani Tom. I. part. 1. pag. 481.*

§. XIX.

Ex quibus omnibus infero, hactenus Concilium Tridentinum a tota Eccleſia Gallicana non eſſe receptum; nedum publica Regis vel Parlamenti auctoritate promulgatum. Nullum enim ea de re vel edictum Regis, vel Parlamenti conſtitutionem, vel declarationem publicam, vel actus ſolennis memoriam reperio, ſive vaſtiſſima acta Cleri Gallicani, ſeu Parlamenti edicta, ſive denique Hiſtoriam rerum Gallicarum excutiam. (α) Unde patet, ſi quis vel maxime in Gallia dogmatibus contradiceret, hæreſeos accuſari non poſſe. Multoque magis mirandum eſt, Gallos ſui immemores ideo pro hæreticis habere Proteſtantes, quod eorum doctrina in Concilio Tridentino anathemate percuſſa fuerit, cum ipſi anathema ejus ſpernant, multa decreta rideant, univerſalitatem ejus infringant, auctoritatem labefactent, & pro norma fidei publice nondum agnoverint.

(α) P.

(a) *P. de Marca de concordia Sacerdot. & Imper. prolegom. p. 22. ait quidem : Concilium Tridentinum conſtitutionibus regiis receptum eſſe in iis, quæ ad fidem pertinent, & in pleriſque etiam diſciplinæ capitibus ; in ceteris vero articulis recipi poſſe, imo vero & publicari, quandocunque Regibus conſtabit nullam eſſe ſuſpicionem motuum ex eo in regno excitandorum. Ita quidem ille. Sed ubi conſtitutiones illæ quas memorat ? producat tabulas placiti regii aut Lutetiani Senatus conſultum. Ut credamus. Ceteroquin, ſi per conſtitutiones regias intelligit conniventiam Regis ſeu tacitam tolerantiam, non refragabor. Interea tamen & hoc falſum eſt, quod in pleriſque diſciplinæ capitibus receptum fuerit ; ſi quis enim conferat praxin cum iſtis capitibus, in multo maxima parte adhuc repugnantiam offendet. Itaque rectius paulo poſt idem de Marca ait : hoc aſſertum eſſe adverſus Magiſtratuum regiorum opinionem*, qui ad libertates regni pertinere putant, ut Concilium Tridentinum nullo caſu vel tempore in regno publicetur.

§. XX.

Supra recenſui, obſtitiſſe olim Clerum Gallicanum, quo minus libri precum Eccleſiaſticarum in Concilio Tridentino recogniti in Gallia introducerentur ; Forte incidi in Decretum ea de re factum, quod curioſo Lectori hic exhibeo. Habetur illud in libro Gallico : *Preuves des libertés de l' Egliſe Gallicane p.* 839. mereturque omnino huc transſcribi ;

Rationes ſacræ Theologiæ Pariſienſis contra quorundam propoſitiones, qui breviarium ſecundum correctionem Concilii Tridentini introducere cupiebant, antiquo uſu Breviarii Eccleſiæ Pariſienſis penitus abrogato :

DEUS opt. max. ſemper gaviſus et uſus eſt varietate, ut patet in ipſa creatione, in qua diverſitate delectatus eſt. Hic enim ejus potens & ſapiens providentia patet ex concentu & harmonia rerum diverſarum atque contrariarum.

Hoc pugnat cum ratione & cum fide per caritatem operante : nam ratio inferior debet conſentire cum ratione æterna, quæ diverſitatem in condi-

tione

tione univerſi poſuit a principio, ut ſit concordia diſcors: ut etiam magis excitemur ad virtutem, cum ejus plura exempla proponuntur: ut DEUS magis laudetur in multitudine & varietate mirabilium ipſius.

Hoc minueret DEI optimi max. gloriam, Sanctorum cultum & Chriſtianorum ædificationem exemplariam.

Hoc valde minuit Epiſcoporum & diœceſeos auctoritatem.

Qui hoc promovent, non ſunt viri ſimplices & devoti ſ. Spirituales, ſed aſtuti, politici, qui ex re qualibet, quolibet modo rem ſuam mundanam conantur facere. Adſtitit Regina a dextris ſponſi circumamicta varietate.

Ut omnis novitas eſt ſuſpecta, ita talis mutatio magna non poteſt eſſe ſine detrimento magno.

Hoc foveret Cantorum & Eccleſiæ ſervitorum inobedientiam atque diſſolutionem, quum omnium Eccleſiarum unum eſſet & idem officium.

Quot ſumtus neceſſarii eſſent? ruſtici non poſſent juvare ſuos curatos in officio agendo: hoc autem eſt neceſſarium in pagis.

Spiritus S. fecit loqui magnalia DEI omnibus linguis Act. II. quod eſt argumentum diverſitatis in officio in Eccleſia, ut in univerſo, & in membris corporis humani cernitur.

Nobis ſapientia, prudentia, virtute & donis Sancti Spir. excellentiores fuerunt antiqui ſancti Patres, qui juſtis de cauſis ſingulis diœceſibus ſingula conceſſerunt & ordinaverunt Breviaria. Miretur Gallia ergo ſuum Marcellum, dum miratur ſuum Sylveſtrum Roma.

Talis immutatio hæreticos juvaret atque delectaret, quaſi in errore aut inſcitia fuiſſent Patres catholici in re tanta. Hoc eſſet ſcandalum piis & catholicis, qui hoc pacto poſſent dubitare de ipſa fide & religione, cujus conſuetam profeſſionem ita immutatam cernerent. Quid hoc affert utilitatis?

Reliqui Epiſcopi habent poteſtatem politiæ & ordinationis in ſuis diœceſibus, ut Romanus in ſua: hoc autem bona ex parte convelleretur.

Ad quid amplexaretur Breviarium Romanum, quod a paucis annis ter immutatum & derelictum vidimus? Succedente alio Papa novum erit forſan Breviarium expectandum.

Hoc eſt contra libertatem Eccleſiæ Gall., quæ ſi Romanæ in hac profeſſione generali & maxima ſe ſubmittat, quid reſtat, niſi quod etiam ex conſequenti ſæpe ſubmittet in reliqua omni politia? nam acceſſorium ſequitur principale?

Semper unaquæque Eccleſia & Provincia gaviſa eſt ſuis ritibus, juxta illud: Si fueris Romæ, Romano vivito more,
Si fueris alibi, vivito ſicut ibi.

Eccleſiæ pagorum ſæpe non ſequuntur ordinationem ſuæ cathedralis, & Cathedrales ſequerentur Breviarium Romanæ Eccleſiæ.

Avari & ſemper ambitioſi Romani ſic rem ſuam facere provident ex impreſſione, ſicut videmus jam factum ex privilegiis multis ad hanc rem ſpectantibus. Et paulo poſt: Quid inde provenit, niſi Romanæ non dico religionis, ſed ſuperbiæ & ambitionis auctio? non cedat criſta Gallica Romano ſupercilio: non enim hic de religione ſed de ſuperbia agitur. Ubi enim minus, quam Romæ, Conciliorum Oecumenicorum decreta obſervantur, Annon eſt hoc in cleris dominari magis, quam Eccleſiam ædificare? dixit antiquitas, quod major eſt orbis urbe, hic vero urbs tentat orbem complecti, & ſibi ſubjicere. Hic latet anguis in herba; Hoc ſuſpecto maxime, aſtuto & malo tempore. Vitentur ergo, qui mutant tempora & leges: Dan. 8. Monet Chriſtus Matth. 24., eum ſolum, qui ad finem perſeveraverit, ſalvum fieri. Perſeverantia autem non eſt obſtinatio novitatis profanæ, ſed antiquitatis religioſa continuatio.

Hoc propoſitum refellit, non ſine magno religionis detrimento conſuetudines & traditiones eccleſiaſticas, quod non poteſt fieri ſine Catholicorum ſcandalo, atque hæreticorum elatione, qui gloriabuntur, noſtram talem immutationem eſſe argumentum præcedentis erroris atque inſcitiæ in religionis catholicæ profesſione, idem concludendo de ejus perſuaſione & doctrina. Talis ergo mutatio hoc maxime fieret tempore imprudenter atque periculoſisſime. Hic Epiſcopi in ſuis diœceſibus ſi intelligunt, quod ſunt, habent poteſtatem orationis modum conſtituendi, ſicut Papa in Romana

Digitized by Google

mana diœceſi & Eccleſia; (hoc enim ſonat & ſignificat vocabulum Pontifex, Hebr. 5. & 9. c.) alioqui fierent Papæ Capellani.

NB. Duo nota præcipue, Clerum Gallicanum loqui de Pontifice velut de Anti-Chriſto, allegantes etiam Daniel. 8. ejusque auctoritatem reſtringere ad terminos Diœceſeos Romanæ, eandemque aliis Epiſcopis vendicare in ſuis territoriis.

§. XXI.

Quantopere Galli in Concilio Tridentino flagitarint, ut varii abuſus & errores e Romana Eccleſia tollerentur, ſupra me dicere memini. Opportune autem ad manus meas pervenit liber Gallice ſcriptus & hoc tempore rariſſimus: *Inſtructions & lettres des Roys tres Chriſtiens & autres actes concernant le Concile de Trente*, *Autore de Puis ſeu Puteano*, *ut accepimus*. In quo cum alia, quæ ad hiſtoriam Concilii pertinent, memoriæ prodita reperio, tum præſertim dogmata illa, quorum reformationem Galli poſtulabant. Erant autem ſequentes articuli: *de Communione ſub utraque ſpecie*, *de cœlibatu Clericorum*, *de invocatione ſanctorum*, *de cultu divino in lingua vernacula peragendo*, *de Miſſæ ſacrificio* &c.

Ipſa Auctoris verba apponam, *Pag.* 368. *ſeqq.* petitiones Caroli IX. Galliarum Regis nomine factas ab illuſtriſſimis oratoribus in Concilio Tridentino. *num.* 17. In miſſis parochialibus Evangelium aperte, & dilucide & pro populi captu copioſe in ſuggeſtu exponatur: quo in loco, quæ præeunte Plebano a populo fiunt preces, lingva fiant vernacula: peracto autem ſacrificio latine, & myſticis precibus lingua etiam vernacula publice ad Deum fiant orationes: eo autem tempore & aliis ſtatis horis cantari poterunt pia & ſpiritualia cantica vel pſalmi Davidici, prius ab Epiſcopo diligenter examinati, ſi id e re ſuæ Eccleſiæ eſſe cenſebit Epiſcopus.

18. Antiquum illud Leonis & Gelaſii decretum de communione ſub utraque ſpecie renovetur.

29. Cum noſtris temporibus exorti ſint Iconomachi, qui imagines evertendas cenſent, & maximæ perturbationes plurimis in locis ex eo ſint excitatæ, provideat ſancta Synodus, ut doceatur populus, quid de cultu imaginum ſit ſentiendum, curetque, ut ſi quæ in eis colendis irrepſerunt ſuperſtitiones & abuſus, tollantur; quod ipſum quoque provideat in indulgentiis, peregrinationibus, reliquiis Sanctorum & iis ſodalitatibus, quas vocant fraternitates.

Pag. 266. articuli de ſacrificio miſſæ per Theologos examinandi: (1) An miſſa ſit ſola commemoratio ſacrificii in cruce peracti, non autem verum ſacrificium? (2) An ſacrificio in cruce peracto derōget ſacrificium miſſæ? (3) An illis verbis: hoc facite in mei commemorationem, ordinaverit Chriſtus, ut Apoſtoli offerrent corpus & ſanguinem ſuum in Miſſa? (4) An ſacrificium, quod in miſſa fit, proſit ſolum ſumenti, non poſſit autem offerri pro aliis, tam vivis quam defunctis, nec pro ipſorum peccatis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus? (5) An miſſæ privatæ, in quibus ſolus Sacerdos & non alii communicant, illicitæ ſint & abrogandæ? (6) An quod in miſſa aqua cum vino admiſceatur, cum Domini inſtitutione pugnet? (7) An canon miſſæ errores contineat, ſitque abrogandus? (8) An Eccleſiæ Romanæ ritus, quo ſecreto & ſubmiſſa voce verba conſecrationis proferunt, damnandus ſit? (9) An miſſa non niſi in lingua vulgari, quam omnes intelligant, celebrari debeat? (10) An abuſus ſit certas miſſas certis Sanctis attribuere? (11) An cerimoniæ, veſtes, inſignia externa, quibus Eccleſia in celebratione Miſſarum utitur, ſint tollenda? (12) An Dominum pro nobis myſtice immolari, idem ſit, quod nobis ad manducandum dari? (13) An miſſa ſit ſacrificium laudis, & gratiarum actionis. An etiam Sacrificium propitiatorium tam pro vivis, quam defunctis? Dicant an erronei vel falſi aut hæretici ſint, & a ſancta Synodo damnandi.

§. XXII.

Sed nihil omnino Oratores Galliæ impetrarunt, quod Italorum auctoritate & Pontificis nutu omnia gererentur, non rationibus & Scripturæ fundamentis, qua de re juvat adſcribere Epiſtolam Legati Gallici ad Regem datam, quæ in eodem libro

libro, quem ſupra laudavi, ita legitur : *Sa ſainteté a pris cette matiere fort à cœur, comme elle fait toutes autres, qui touchent le profit particulier de la Cour de Rome, qu'elle dit vouloir elle-méme reformer, ſans que le Concile s'en meſle; & deſire, que la dite matiere de reſidence, celle de la communion du S. Sacrament ſous les deux eſpeces, & autres, qui ſe trouveront icy en quelque difficulté, luy ſoient remiſes, pour en decider au Conſiſtoire, appellé quelque nombre de Docteurs; comme votre Majeſté pourra voir par l' extrait d' une lettre cy en dos, que Monſr. de Liſle m'a ecrit des propos, que ſa Sainteté luy a tenus, concernant telles matieres : & par le votre Majeſté pourra juger, que quelque travaille, que nous puiſſions prendre icy, nous n'y obtiendrons rien, que ce qu'il plaira à ſa dite Sainteté; car il ne faut pas douter, que toutes choſes n'y paſſent à ſa volonté, d' autant qu'il a eté deliberé, qu' il ne ſe propoſera rien, que par Meſſieurs les Legats, & presque tous les voeux du dit Concile ſont Italiens, à ſa devotion, & beaucoup ſes penſionnaires, & les Eſpagnols, qui monſtrent avoir un grand Zele à la reformation, ſont à preſent refroidis & etonnez, par la correction, qu'ils ont receu de leur Roy, pour le ſusdit fait de la reſidence. Neantmoins, SIRE, nous ne lairrons pas aprés avoir entendu votre intention de propoſer & pourſuivre vivement, tout ce qu'il vous plaira nous commander, ſans laquelle, comme nous vous avons mandé, nous ne pouvons rien faire, qu'ecouter, craignant qu'aux termes, où ſe retrouvent à preſent vos affaires, & n'ayant aucuns voeux icy pour nous ſouſtenir, on fit peu de compte de nos remonſtrances : & davantage nous craignons d' aigrir & brouiller choſes, qui amenaſſent pus grandes en troubles vos affaires, lesquels nous ſupplions le Createur conduire, & conſerver la perſonne de votre Majeſté, en grande proſperité, & vous donner, SIRE, en perfaite ſanté, tres-longue vie.* De Trente ce 24. de Iuillet, 1562.

 §. XXIII.

§. XXIII.

Quam vana fuerit omnis Gallorum proteſtatio in Concilio Tridentino, eventus docuit. Tantum enim abfuit, ut Roma corrigeret errores, & abuſus tolleret, ut potius novis decretis eos fulciret ac confirmaret. Crediderim per hypotheſes Eccleſiæ Gallicanæ nihil obſtare, quo minus acta Concilii Tridentini penitus reſcindantur. Quid enim impedit ejusmodi Concilium abrogari, de cujus univerſalitate tanta lis eſt, quod libertati Eccleſiæ Gallicanæ tantopere repugnat, quod perpetuam litis materiam inter Pontificem ac Galliæ regnum ſerit? quæ religio vetat abolere acta Concilii, in quo plus datum eſt affectibus quam veritati, fatentibus Gallis? imo in quo curiæ Romanæ utilitas privata & invidioſa ambitio plus valuit, quam Scripturæ & antiquitatis ſanæ aſſertio. Regis autem Galliæ nonne in eo verſatur auctoritas, ut ejusmodi aboleantur decreta in jurisdictionem regiam ejusdemque Majeſtatem injuria? In quo magis laborandum Regi, quam ut removeantur obſtacula regimini Monarchico tantopere adverſa? Certe nimium quantum intereſt deleri conſtitutiones curiæ Romanæ, quæ poteſtati civili, conſtitutionibus regni, libertati Eccleſiæ Gallicanæ vim intentant. Utrique tam Romanæ quam Gallicanæ Eccleſiæ conſultum fore exiſtimarim, ſi Concilium Tridentinum vel aboleretur, vel ſaltem aliud univerſale indiceretur. Hoc enim pacto facile ſopirentur controverſiæ diu jam tum agitatæ, quæ ocius aut citius in Schisma apertum haud dubie erumpent. Spes etiam eſſet, fore, ut ſublatis erroribus, reformatisque abuſibus, univerſæ Eccleſiæ Chriſtianæ unitas poſtliminio reſarciretur. Quid magis optare Roma, quid citius Gallia admittere deberet? Atque utinam tum magis Galli pro libertate Evangelii quam Eccleſiæ ſuæ dimicarent, utinam fortius ac olim inſtarent, quo calix Laicis reſtitueretur, invocatio ſanctorum aboleretur, aliaque plurima dogmata mutarentur! Quantam non di-

Digitized by Google

dicam a Proteſtantibus ſed univerſa Eccleſia Chriſtiana gratiam inirent. Sed voti ea res eſt, non ſpei. Nuper adeo cum Epiſcopum Thinnenſ. fama vulgaret Proteſtantibus pollicitum eſſe novum Concilium univerſale, in quo acta Concilii Tridentini examinanda & pro re nata mutanda forent, memini quosdam Theologos in Gallia id ægre tuliſſe, ac ejusmodi promisſum ſcandaloſum vocaſſe; ipſe acerbas quorundam voces eorum audivi; ſed qua de cauſa, equidem non video. Sane ut nunc ſunt hypotheſes Eccleſiæ Gallicanæ, laborandum potius eſſet cum Proteſtantibus, ut acta Concilii Tridentini reſcinderentur, quam ut ſolicite foverentur. His enim ſervatis ac pro norma fidei venditatis nulla unquam vel cum Proteſtantibus pax, vel inter Romanam ac Gallicam Eccleſiam concordia ſperanda eſt. Neque verendum eſt, ne hypotheſis Cleri Gallicani de *auctoritate divina conciliorum generalium* quicquam patiatur? Nonne enim in promptu eſt dicere; Concilium Tridentinum non eſſe generale ſeu œcumenicum, anathemate ejus nunquam territos eſſe Gallos, nunquam etiam in Gallia fuiſſe publicatum, non eſſe majoris auctoritatis in Gallia quam Concilium Lugdunenſe, quod nec receptum ajunt nec obligatorium eſſe. Hæc ego putarim non abs re a Gallis obverti poſſe, ut ſalva maneat illa hypotheſis de *infallibilitate & divina auctoritate Conciliorum œcumenicorum*; quanquam illa hypotheſis jam diu in Gallia labefactata eſt per alias opiniones: irrita eſſe Concilia etiam univerſalia, ſiquidem libertati Eccleſiæ Gallicanæ repugnent. Ita nos ſupra docuit *P. de Marca de concord. Sacerdot. & Imp. lib. 3. cap. 7. Libertates, inquit, perinde tuemur, ſi de Concilii generalis novis decretis, acſi de Rom. Pontificiis conſtitutionibus agatur: Quin etiam receptos mores & conſvetudines Eccleſiæ Gallicanæ noſtro uſui commodas, adeo retinemus, ut, etſi canone Concilii generalis deſtituamur, quo illæ firmata ſint, tamen ab iis nobis diſcedendum eſſe non cenſeamus.*

§. XXIV.

§. XXIV.

Ad extremum non video, qua conſcientia Galli Concilium Tridentinum pro univerſali venditare poſſint. Sæpe mihi rem probe cogitanti dubitandi anſa fuit, an ſerio audiat in Gallia Oecumenicum. Qui titulis movetur, forte crederet rem ita ſeſe habere. Modo enim ſanctiſſima Synodus univerſalis, modo Concilium omnium Conciliorum dicitur, ſed hæc nomina ſunt! Reipſa quid aliud agunt quotidie Galli, quam ut univerſalem ejus auctoritatem ac infallibilitatem infringant. Quod ſi quis ea, quæ ſupra bona fide ex ipſismet Pontificiis adduximus, rite perpenderit, facile divinabit negotium. Qua de re Lectori judicium relinquo. Id tantum non poſſum præterire: *Maymbourgius in libro Gallice ſcripto; De vera Chriſti Eccleſia*, probare conatur, Concilium Tridentinum eſſe œcumenicum, nec ullum ipſi deeſſe requiſitum Synodi vere univerſalis. At vero dum Proteſtantium argumenta contraria cenſet, partim in veritatem hiſtoriæ impingit, partim ſtatum controverſiæ immutat. Sæpe etiam in notis Concilii univerſalis fallit, eas dividendo, quas conjungere debebat. Sed de his alibi ſeorſim agemus. Ceterum quod rem ipſam attinet, diu demonſtratum eſt a Proteſtantibus, Conciliabulum illud Tridentinum non eſſe Oecumenicum, & a nobis merito rejectum; cauſas ſuppeditavit *B. Hulſemannus, Man. Aug. Confeſſ. Diſput. 19 ad Quæſt. 8. de cauſis recuſati a Catholicis (Lutheranis) Concilii Tridentini.* Idem argumentum, quantum ad forum politicum ſpectat, tractarunt *Hortlederus, tom. 1. c. 28. 29. & 30. Goldaſtus in Politica Imperiali pag. 1200. & 1266.* quorum rationes eo tendunt, (1) quod debito modo non convocatum, ſed a ſolo Pontifice indictum fuerit. (2) Quod totam Eccleſiam univerſalem non repræſentarit (3) Quod liberum non fuerit, ſed tyrannicum, in quo quis reus erat, Papa judicis partes ſibi ſumebat. Sed de his ſatis.

Anno 1696. ad diem 6. Febr. Recuſa 1710.

620209